


GOELENIUS
IN
BIELKE



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 674 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 674 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 674 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 674 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 674 4° copy 1

42,- 188.

DA-BOX

LN 674

ex. 1.

M



libris Laurentij iuxq; H; p[re]cium



DE LUCTU MINUENDO EX
currentis seculi perversitate.

ORATIO BREVIS:

SCRIPTA

IN OBITVM

GENERO SI ET
PRÆCLARÆ SPEI JV-
VENIS, JOHANNIS BIELKE:
Illustris & Magnifici Domini TVRONIS
BIELKE, &c. filij: ex corruptissimo hoc
seculo in cœlestem illam Academiam
abiturientis 18. Novemb.

Anni 97.

¶

RODOLPHO GOCLENIO, MED. ST.

Autor Momo.

Rumpantur dentes, rumpantur & Ilia Momo
Felle venenato qui horrida verba linit.

HAFNIÆ, EX OFFICINA TT-
pographica Henrici Wald-
kirchij. 1598.

3.

EPI T A P H I V M G E
N E R O S I J V V E N I S ,
J O H A N N I S B I E L K E .

S Iccine BIELKORUM grata & generosa propago
Hinc migras? patrios fines & dulcia rura
Linquis? ad astra poli & clarissima limina cœli
Longius excurrens? te forsè amabile fatum
Traxit, & invito haud tibi clàm calcaria subdit.
Sed malè quàm factum? præstans spes concidit; cheu!
Saturni nam frigus iners, & Martis iniqui
Ardor in exortu feriebat Lumina juncta
Infaustis radijs simul ascendentibus: ô quàm
Claræ virtutes nimium properantia fata
Eripuere? D E I fruitur nunc vultu animoq;
Hoc tantum tumulo requiescunt molliter offa.

Lugens & lubens f. Rod. G. jun.



AD DEFVNC-
TI FRATREM SV-
PERSTITEM, NICOLAVM
BIELKE, JUVENEM PRÆCLARÆ
indolis & summæ spei, Rodolphi Go-
clenij jun. adhortatio coh-
solatoria.

FRATREM AMISSUM, NICOLAË carissime, non est dubium quin lugere de-
finas, si modò te hominem esse memineris:
itaq; in cohortando te de luctu abstergendo
non ero multus, ne rem consopitam quasi irri-
tare videar. Tantùm in hoc incumbe, ut, quo-
niā tibi nasci contigit ex ea familia, in qua
semper verus honor, splendorq; virtutis eni-
tuit, nihil humile, nihil obscurum aut inane
cogitēs, & exorientes quasi fratris tui virtutes
ità assumas, ut etiam perficias: excelsa petat
animus tuus & illustria, quò te ardor naturalis,
quò D EI & Præceptoris vox, quò pater tuus
omni scientiarum genere exultissimus, quò
majorum tuorum exempla, vocant: da, in-
quam, operam, ut novum in familiam tuam
decus inferatur, plæclaramq; consuetudinem,
quam omnes in te miramur, artium expetenda-
rum, retineas. Maëte egregiæ spei adolescens,
perge in hoc præclaro studiorum cursu, & pa-
tri tuo tām tui amanti, tām libenter omnes suas

A 2 curas

curas & cogitationes in te consumenti , quicquid reliquum vitæ est , fac , ut id per te sit jucundissimum : quod ita facilè consequeris , si in ijs artibus , quibus nunc operam das , ita proficias , ut aliquando multis alijs , & quali nunc tecum ætate , elegantia sermonis & rerum usu antecellas . Vale diu , sed D E O & Musis . Forsæ ,

Anno 97. 24. Novemb. calamo otioso
quidem , sed à Musis re-
motiore , &c.



ORA,

ORATIO.

Nemo vestrum, Viri Illustres, Magnifici & Reuerendi,
Generosae Heroiae, nobilissimi juvenes, castissime virgi-
nes, & quisquis praterea huc confluxisti, honoris causa,
credo est, qui in dubium vocet, quod à majoribus nostris institu-
tum est, temerè id esse pratermittendum. Fuit enim sapiens anti-
quitas, & omnia, qua ad Republica salutem pertinent, graui san-
xit consilio. Vnde ab Imperatore Iustiniano merito veneranda dicitur:
Nam in lege quadam scribitur, retinendus est mos fidelissima vetusta-
ris: Et antiquus ille Poëta Ennius, ~~Moribus antiquis res stat Romana~~
~~virisq.~~ Instituerunt autem veteres inter alia honesta studia, exercitia
declamandi & perorandi. Quare non fuit mihi faciundum, ut boc
optimum majorum institutum à me neglectui habitum videretur: sed
putavi, me ex hoc loco amplissimo, quamvis nihil dignum præstare pos-
sem, de utili argumento, luctu videlicet minuendo ex præsentis seculi
malignitate, commode dicere posse. Causam dicendi præcipue dedit ~~eo~~
intimis mihi sensibus carissimus, JOHANNES BIELKE, im-
maturâ prorsus morte præuentus. Quid ais? valde me percussisti tam
graui nuncio? JOHANNES BIELKE, juvenis vernali cor-
pore, majorum suorum stemmate, & propriâ virtute clarus futurus,
adolescens fortuna & ingenij ornatus bonis, quid inquam, ereptus ille
repente nobis est? o miseram humanae vita conditionem? quam omnia
infra Luna-orbem mutabilita? quam omnia fluere & labi à mane ad
vesperam videmus? quam facile hunc & illum, florentem opibus, flo-
rentem etate, repentina ausert mors? Sed dic, amabo te, mihi, juve-
nis præclaræ spei ac indolis occidit? animusne eum reliquit? vitam ante
tempus amisit? o acerbum, o crudele fatum? o iniquam mortem,
qua florem maximarum virtutum nobis abstulit? jam enim exorientis
virtutis & industrie fructus ostentantem, quis tam inique & inhuma-
niter extinctum non ferat iniquissime? Verum humana, que sunt hu-
maniter, sunt ferenda: nego dubito quin luctum luctu abstergamus, si
præsentis nostri seculi peruersitatem consideraverimus: immò gratulari
potius debemus optimâ præditis mente, ex huius mundi tetrica cali-
gine, ad cœlestium beatissimas animarum sedes commigrantibus. De
hoc igitur mundani status genere breuiter mihi differenti velim aquo &
modo-

modesto ad suis animo : siquidem nullius neq; famam neq; existimatio-
nem oratio mea attinget. Prncipio certum est , nihil in hoc mundo
magnum esse , nisi animum magna despicientem , quemadmodum sa-
pientissimè dicitur à Philosophis : adeò autem mutabilis est hominum
status in hoc mundo , ut vel sapientissimi quiq; , quod sibi bonum sit , elige-
re , quod contra malum sit , effugere nesciant : & si cogitemus , unde si-
mus , quid simus , quâ de causâ simus , reperiemus utiq; , quod principium
nostrî est oblivio , medium labor , finis autem dolor & manifestus error.
Quod Neotidas Philosophus aliquando rogatus , consilium quod quis ca-
pere posset , quale nam esset omnium optimum , confirmare etiam visus
est : illud enim id esse respondit , quod quis , suo proprio contemptu cape-
ret ab alio : cuius responsonis hanc afferebat causam , quod humana
naturæ depravatio sit tanta , ut unusquisq; semetipsum querat in primis ,
cum tamen se reperire non possit , quod auxilio boni in alieno delite-
scens , destituatur : unde ipsam vitam nos decipere , persecutionibus
vexare , redarguere , & meritis tandem molestijs nos sepeliri , quis est qui
inficias ibit ? Id ipsum luculentius multò Plato sensisse videtur , qui die
quodam rogatus , ubinam omnium maximam frugalitatem & vite tran-
quillitatem deprehenderet ? nullus est , inquit , in mundo status , qui mu-
tatione careat : nullus honor , qui periculum adiunctum non habeat :
nullæ divitiae , quo ut labores molestiæq; majores non suscipiantur , effi-
cient : nulla profferitas , quo non finiatur tandem : nullæ deliciae , quo
non descant : ò diuini Philosophi præclaram sententiam ? hâc nimi-
rum docere voluit , quod nos , quamdiu sumus mundo addicti , desideremus
omnia , probemus omnia , procuremus omnia : sed omnibus bene-
visis & degustatis , nos omnes omnium causa coquamus & maceremus.
Maxima autem insatiabilis desiderij nostri pars oritur inde , quod no-
strum multum parum , & alienum parum nobis in contrariam partem
videatur esse multum : nostram enim felicitatem molestiam , alterius
vero infortunium quietem nuncupamus . O mille erroribus implica-
tam vitam , & infinitis propiore à periculis expositam ? In mari nauiga-
re , periculosest , in terra vero ambulare , tardiosum : ad ipsam verd
vitam , si quis oculos convertat , is uno & eodem momento sano corpore
præditos in morbos incidere , & ex his alios vitâ privari , alios lethali
angore liberari , alios deniq; diu languere & conflectari comperiet : dum
hic est fortunatior , ille miserior euadit : dum ille per favorem excipi-
tur ,

tur, hic excluditur. Quare ridendi sunt potius quam refutandi, qui di-
vitias in hac vita, qui fortunam, qui honores preponunt, caduca enim
h.ee omnia sunt & incerta, & non tam in nostris consilijs, quam fortu-
ne temeritate posita, quemadmodum hoc testatur doctissimus Laetan-
nius, lib. 7. cap. 27. Bona ista fallacia migrant quotidie, & multo
velocius exequunt, quam intraverant, & tamen si licet nobis ad ultimum
usq; illis frui, alijs certe sunt relinquenda. Quam sententiam & Augu-
stinius confirmat super Psal. 59. Miror mortales jacere de ijs rebus, a
quibus plerumq; aut viri deseruntur, aut mortui. Item, Basilius Psal. 62.
verissime dixit: Fluit opulentia, & torrentis instar praterlabitur, sub-
indeq; Dominum mutat: honor verò vel similitas est, vel non diutur-
nus, ut ostendunt exempla magnorum virorum, qui ex altissimo digni-
tatis gradu in acerbissimas calamitates deiciuntur. Et doctissimum ex-
tat Poëma Empedoclis Physici, in quo leguntur hi versiculi:

Iungit amor quandoq; clementa & semina rerum,
Diffiliunt odijs eademi certantia rursus:
Sic res gignit amor, sed non durabile quicquam
Nascitur, inq; vices mutantur cuncta subinde.

Item, Jacobi Mycilli elegans Epigramma de casu mundi:

Scilicet ex omni mundus jam parte senescit,
Intereunt homines, regna polusq; ruunt.
Rarescit virtus, verus jacet ardor honesti,
Corrumptit mores ipsa senecta bonos.
Cessavit pietas, rectum cessavit & æquum,
Et stat in extremo jam ruitura fides.
Quin etiam tellus victum lassata recusat,
Raraq; de multis spica refertur agris.
Et sua confectæ claudunt jam brachia vites,
Et minus à prælis musta frequenter eunt.
Vndiq; deficimus, quid nunc nisi tempora restant,
Quæ videant flammis cuncta perire suis?

Multi & nostræ etatis Theologi, Philosophi, Iurisconsulti &
Medici, hoc unico vitio, quod reliquorum omnium fons est & origo, quo
singuli sibiipsis placent vimium, fascinati, multarum noxarum in hoc
mundo

mundo causa sunt. Theologus de vita sanctimonia narrat, & dono castitatis, ago tibi gratias, mi Domine, quod non sum sicut ceteri homines: Philosophus de judicio rationis & rerum inveniendarum felicitate jactat: Medicus de temperantia & quam felix sit in curandis agris: Iurisconsultus deniq; de jure & aequo, quod omnibus praestare pollicetur, disserit. Sed hi naribus admoveant ad corrigendum cerebrum, idq; ad symmetriam revocandum divini Platonis diambram, proxima quaq; loca sua vi & efficaci odore completem, ejusq; descriptio, lib. 5. de legibus proponitur talis: Omnia, inquit, malorum summum nobiscum nascitur, quod videlicet unusquisq; sibi amicus est natura, suisq; opinonibus delectatur: ex quo fit, ut non recte judicare possit ea, quae bona sunt & praelata, cum antecepitis opinionibus & amore nimio suipius impediatur: neq; enim magni viri est se suaq; immodecum amare, sed acquiescere in justis factis, sive proprijs, sive alienis: nam hoc errore obseci putant se multum sapere, cum tamen nihil vel parum intelligent, eumq; omnium rerum scientiam sibi arrogant, nolunt artificilis credere, atq; hoc modo turpiter hallucinantur. Hacenus Plato. Vnde conspicuum est ambitione nihil esse pejus, quae divina & humana simul confundit, quae florentissimis regnis & civitatibus fuit exitio, quae sola cum templo & scholas irruperit, plurimum nocet, sciam exercens tyrannidem: sed quam tristis his impendet & calamitosus exitus? annon Hippolytus Thesei filius prestantis adolescens, ut in fabulis legitur, a Neptuno interficitur, ob nimiam propriae virtutis fiduciam & numinis contemnum? Cum enim castitatis dono divinitus esset ornatus, ad superbiam & fastum eo est abusus, quare punitur divinitus: talibusq; exemplis nostra secula abundant, & possem nominare nonnullos, quos, ne palpare videar, omitto. Quanto vero modestius Scipio Hannibali in sua oratione dicenti, maxima cuicunque fortuna non credendum, respondet, ad me quod attinet, & humana infirmitatis memini, vim fortunae reputo, & omnia quecumque agimus subjecta esse mille casibus scio. Sed hujus generis anfractus missos faciens ad propositum me converto. Quid enim opus est verbis? attende parum, & exigui temporis auscultationem mibi non denegato: expediam me paucis. Est revera hoc nostrum seculum omni flagitorum nostrarumq; genere resertissimum: libido, luxus, licor, ira, invidia, avaritia, malignitas & crudelitas, ubique tenent primas: quid queris? Stupra, rapui & fornicationes iudicant, & matres nonnum-

nonnunquam filiorum sunt lene: probus quisq; opprimitur, peſſimus
quisq; provehitur, simplices irridentur, justi vexantur, audaces & im-
pudentes eriguntur. Vis plura? quicquid uſpiam eſt vel ſui terri-
marum beluarum perversitatis, id omne in præſens ſeculum tanquam in
unum corpus confluxiſſe videtur: longè enim lateq; ſerpit ferociaſ Leo-
nis, ſeviua tigridis, truculentia ursi, temeritas apri, ſuperbia equi, ra-
pacitas lupi, fraudulentia vulpecule, & versutia Chameleontis: in
vita verd que mundi quaſi exemplar eſt, timiditatem leporis, petulan-
tiam hirci, mordacitatem canis, immundiciem ſuis, desperationem Ele-
phantis, vindictam Camelis, ſtoliditatem aſini & ſcurrilitatem ſimia-
manibus fere deprehendimus: omitto furentes Centauros, triformesq;
Chimeras, insanientes satyros, voraceſ gryphos, rapaceſ dracones,
pernicioſiſſimos Basilicos, & quicquid portentorum monſtrorumq; eius-
modi uſpiam exiſtit. Virtutes patiuntur carnifices atq; tyraſnos: ar-
teſ humaiores cum Domina ſua Philoſophia, que ut Heſperus aut Lu-
cifer inter sydera, ſic ipſa in mundo & actionibus noſtriſ praluceſ, ex-
uſtant, nec locum habent, ubi conſiſtant: o temporiſ iniquitatem? vir-
tuſi & artibus liberalibus deerine ornamentum? neq; juſ jam valet,
neq; autoritas? cultus diuinus & jura diuina tolluntur, quibus ſublatiſ
locum retenere diutiū nec honestas nec pietas potuit? perij fides &
omniſ inopiaſ ſublevante conſuetudo? Sed quid juvat multis acclama-
re? nunquam tamen vel periandros quodam, vel Clotarios, Conſtan-
tinos Imperatores, Neroſ, Euandroſ, Heraclitoſ vel Nicomedes, qui
furore immaniſſimo accenſi parentes vitā priuārunt: nunquam Me-
deas, Altheas, Deuterias vel Pontias Romanas, aliasq; liberorum ſuorū
interfectrices: nunquam Clytemneſtras quodam aliena libidine incen-
ſas, viroſq; trucidantes: nunquam Siculoſ Gnatoneſ, Sardanapaloſ,
Vitellioſ, Galbaſ, Demetrioſ, Archeſilaoſ, gule proceres ſtrenuiſſimos,
quibus Deus eſt venter: nunquam Canippos Syracuſanoſ potu largiore
viduoſ ſtupraſ ſiſias contaminanteſ: nunquam Lucianoſ, Leonoſ Impe-
ratores, Decioſ, Valerianoſ, Diocletianoſ, Neroſ, Aetioſ, Ammo-
nioſ, Apollinareſ, Arrioſ, Eudoxoſ, Menandroſ, Nestorioſ, vel Eu-
tychetes, qui omnes in Christianam fidem, honesta ſtudia, patriam &
parentes immaniſſima rabie ſavierunt: nunquam Alexandroſ Phæreoſ
quodam, quorum in Theſſalia tanta fuit crudelitas & Tyraſnos, ut
homines in pelles ursoruſ & aproruſ inſuerent ad illos dilacerandoſ:

B

nun-

nunquam Dionysium Tyrannum, quem post plebem oppressam tanta
timiditas invaserat, ut cultros timens tonsorios carbone candente capil-
los sibi adureret: uerò ipsos deniq; Turcas, vel ex his quosdam, neq;
pro gloria & patria, ut Pyrrhus, neq; pro Imperio, ut Alexander, di-
micantes, oratione hac mea meliores reddo unquam: ità enim desi-
piunt, ità ipsi se ignorant, ut in sinu quasi sibi gratulenrur: interim ta-
men non vident, dum se tot laboribus macerant, dum quasi labyrintho
infernali sese implicant, quem connodant tigrides, basilisci & infernales
furie, dum se ità ab humano commercio reddunt alienos, se mortem in-
gratam habituros & diram. O tempora? o mores? Sed quid, queso,
mi optime lector, putas esse, quod me de nostro seculo aperire libere de-
ceat? si de bonitate & veritate vellem id commendare, essem apertus
mendax: si de prosperitate & sanitate vellem, reclamant pestifera &
gallice inquinaciones, que adeò sunt familiares, ut etiam pro commu-
nibus febribus habeantur: si de sobrietate vellem & continentia, obstat
Bacchus, qui mortalium hodierno seculo Deus est: si de castimonia fæ-
minarum vellem, video in mundo adulterio nihil existere frequenter:
si de hominibus deniq; vellem suo contentis, non possem utiq;, cum non
solum aurum & argentum in fodinis investigent, verum etiam ipfius
querendi causa ad ipsos Indos & Garamantas usq; excurrant: pro-
fecto ut ab arbore plane exiccata, & vinea plane congelata, à fructu
plane immaturo, sic & ab hoc seculo tam suspiciose & maligno quid
quoso aliud præter malum expectare possimus: seculum enim quod nunc
est in pomarijs suis nihil præter spinas, in arboribus nihil præter folia,
in vineis nihil præter labruscas, in thesauris verò suis præter alchymica
quedam nihil habet amplius. Thesaurarij verò hujus seculi sunt pana-
cæa conflatores & Chymisti, qui ex sulphure & hydrargyro percoctis &
contemporatis aurum confari posse contendunt, cum tamen id nullis
ignibus, nullo artificio, cuius rei locupletissimum habemus testimoniū
ipsum sensum & experientiam, assequantur. Sed quid tandem pro la-
boris premio reportant? inaugratum paubulum, in quo corporis sui gra-
vitatem strangulato collo metiuntur: sic enim transit gloria mundi:
sic mundus vult decipi, quando novis inventionibus, novis ludis, novisq;
fallendi obrectandis modis delectatur & capitur. En igitur quam
triste su nostrum seculum, quam calamitosus vite nostra status: certè
non minus ille periculosus putari debet, quam via quedam lapidibus ad
cessio-

a comparsis

cespitandum referta, quām volutabrum ad polluendum, quām glacies
ad cadendum, quām aviaria ad aberrandum: en inquam vitam que-
tot ad expediendum habet negotia, ut difficulter admodum quid vult
aliquis, eō visu pertingat, tantum abest, ut, quid cogitationibus cupit, eō
perveniat. Cum igitur nostrē seculi tanta sit perversitas & iniquitas,
quis vitam sibi diuīus prolongari desideret, & in tantis fluctibus natare
exoptet, cum propter incertas spes aut metus sep̄ labamur. Herodes
metuens regno pueros jubebat interfici: sic multi metuentes crescentem
potentiam alterius obiciunt impedimenta, & quoquo modo ejus vires
carpunt: ubi teneatur preceptum Philosophi, ut in praesentia recte fa-
ciamus, nec propter futuras spes aut metus à regula discedamus. O
quām sapienter hoc à Philosopho dictum est: o vero beatos & felices,
qui sic vitam instituunt, ut neq; propter futuras spes, neq; propter metus
ab honestatis & veritatis regula aberrantes desperabundi tandem ve-
ram cum morte commutare cogantur. Nostris temporibus si qui sunt,
qui prudentia, magnanimitate, rerumq; gerendarum sagacitate reli-
quis eminent & excellunt, illi viventes tamen audiunt pessimè, publicis
insidijs & calamitatibus anguntur, nec ab odio aut maledicentia sunt
immunes, vel in medio etatis cursu, vel in ipso flore juventutis iniquissi-
mo fato abripiuntur: exempla ubiq; suppetunt: sed contentii simus hoc
uno, quod non ita pridem, nescio quo fato, in ipsa vernali & florente
etate extintus est JOHANNES BIELKE, juvenis maxi-
marum virtutum que in ipso ceu Luna constituta in horoscopo, eluce-
bant, illustri familia natus, Magnifico patre, Heroina matre. Quid?
non longius evagari & animo peregrinari opus est: persecuere majo-
res cogitando que fuerit eorum in pace iustitia, in bello virtus: si atten-
des, nihil ad gloriam domesticam requires: si ad defuncti familiam &
domum animum referas & mentem, eminere videbis parem Turonem Turo
Bielke omnium doctrinarum peregrinarumq; linguarum genere (absit Bielke.
livor, absit gratic captatio cum arrogantia) instructissimum, magni
animi, summi consilij virum, consiliorum Serenissimi Regis Sigismundi,
una cum fratribus dyobus Hogenchildio & Nicolao Bielke, viris
omni seculorum memorâ celebrandis, & participem & adjutorem,
cujus nomen nullo silentio damnatum apud omnem posteritatem predi-
cabitur. Quid multa? Cum Bielkorum familia oriuntur virtutes,
crescent & propagantur: Bielkorum igitur nomen nulla unquam etas

B 2

conti-

B. Rynke

Suantho
Stüre.
Steno
Stüre.

conticescet, nulla delebit oblivio. Matris familiam si spectes, an non
Stürorum religio & rei militaris scientia omnium approbatione spe-
cata & probata vehementer est? Quis Suanthone Stüre, comite in
Stekeholm & Vesterwyk, regniq; consiliario & Marischalcho, in con-
silijs dandis & accipiendis fuit clarior & humanior? Quis Stenone
Stüre, regni Suecic prorege, aequitate & virtute bellica, quā sua etate
parēm forsan aliquem, superiorem verò habuit neminem, præstantior
& celebrior? fortiter enim pro patria dimicans, Suecia bello oppressā,
globulo aeneo, nescio quo importuno fato, percussus occubuit, quo lapsō,
parum absuisset, ut regnum Suecic libertate perdita corruiisset: & tan-
tum roboris fuit in uno viro situm: possem & alios hujus præclarę gentis
invenire, quos tamen omitto, contentus ijs, qui propius ad etatem no-
stram accedunt: hoc tantum pro decreto addo, quod Stürorum & Biel-
korum nomine, in multis multorum vocibus partes dissipato, non Suecia
tantum, sed & finitimę provincię personant. Cum igitur omnium vir-
tutum exempla appareant in tota familia, cur insignia virtutis in de-
functo quoq; nostro non eminerent? Sed perijt, prob̄ dolor, qui fami-
liam suam, qui patriam ornare vehementer poterat & laudibus illu-
strare: hoc enim expectandum ab ejus virtute fuit: perijt inquam:
jure commovemur: agrè enim divellimur à naturā conjunctis: mœ-
rori ignosci potest, nec tamen si modum excedat laudandus est: dolere
enim filij interitu patris vel matris est, modum autem & finem dolori
non constituere, hominis non est: erepto ante maturitatem fructu,
quando hoc singulare non est, sed commune cum multis, modicē fera-
mus: audiamus sententiam Basilij in concione de Eucharistia: querat,
inquit, aliquis, cur C H R I S T V S resuscitatus Lazarum lacrymas
tenere non potuerit, cum quidem res ipsa deplorationem non adeo po-
stulārit? Sed manifestum est, quod omni ex parte volens opem ferre
nostra imbecillitati, modum quandam & terminum affectibus naturali-
bus constiuerit: nam indolentiam tanquam immanem & à naturā ho-
minis aberrantem vitavit, & nimiam animi molliciem, que lacrymis &
lamentationibus nequit expleri, fugit & reformidauit. Quare cum
amici mortem lacrymis prosequeretur, societatem naturę humanę osten-
dit, & nos ab excessu in utramq; partem revocavit, ut neq; frangamur
ac debilitemur affectibus, nec sine sensu doloris vivamus. Item, August.
trat. 6 o. in Luban. Pereant, inquit, omnia Stoicorum argumenta,
qui-

quibus in sapientem cadere perturbationes animorum negant, habeant
eas justas de causis Christiani, nec Stoicorum consentiant errori. Et
Cic. in 3. Tuscul. Minime assentior his qui istam nescio quam indo-
lentiam magnoperè laudant, quā nec potest esse ulla nec debet. Quare
itā dolendum est, ut tamen doloris finis sit aliquis: illo enim excedente,
nec remittente, contabescere multos videmus & prorsus interire, quia
cor, affectuum sedes, torrefit, spiritus redduntur debiliores, & langue-
scunt totius animati vires, humidum radicale absuntur, quo depasto,
perit omnis calor, & tandem vita, que in calido & humido attempe-
rato consistit. Causæ enim extinctionis nativi caloris sunt secundum Ari-
stotalem & Medicos, motus cordis & affectus immoderati, ut dolor,
tristitia, eura mordaces & edaces, metus, ira, calorem vivificum de-
repente sepius exinguentes non secus ut aqua ignem: & multos sicc ex-
pirasse historicorum autoritas contestatur. Quid? an non Eli summus
sacerdos & judex mortore repente concidit, certior factus de filiis una
cum 30000. Israelitis à Philisthijs interemptis? Diodorus Cronus,
logicus insignis, an non mortore absumptus fuit, cum Stilphonis Sophisti-
cam questiunculam ex tempore solvere non posset? Plinius lib. 7.
cap. 53. Sic & Homerus dolorifico cordis affectu absorptus dicitur,
cum piscatoribus hoc enigma proponentibus, Quaecunq; cepimus relin-
quimus, & quaecunq; non cepimus habemus, explicare nesciret? intel-
lexerunt autem pediculos, quos captos reliquerunt, non verd depre-
hensos retinuerunt. Eodem mortis genere obiit, ut testatur Guido Li-
via Drasilla de mariti sui cesaris Augusti morte certior facta: Et Iulia
uxor Pompej magni, aspiciens vestes quas Pompejus in comitijs adili-
tij sanguine pollutas domum miserat: forti enim imaginatione ducta
maritum vel lethaliter vulneratum vel vitam misere perdidisse, ex
abrupto decidens animam emisit. Quid? quod ex contrario etiam
sensu multos perisse historicorum libri affirmant. Plutarchus in vita
Hannibalis & Valer. Max. lib. 9. cap. 12. mentionem faciunt de ma-
tribus binis Romanis ex immodico gaudio repente mortuis, vixi filiis,
quos prius ad lacum Thrasimenum ab hostibus interfectos perhibebant:
inustatus sanè casus, quas dolor extinguere non potuit, letitia consump-
tit. Eodem prorsus genere mortis occidisse Philippidem Comicum, So-
phoclem Tragicum & Cratinum Poëtam, ob triumphum quem ex Co-
medijs & Tragedijs gravissimè actis reportarunt præ multis alijs,

B 3


testes

MM
DL

testes sunt Gellius lib. 3. cap. 15. Plinius lib. 7. cap. 53. Valerius Max. & alij. Que cum ita sese habeant, unica tamen, ut opinor, consolatio superest, quam & parentibus & amicis in luctu demortui abstergendo scio fore gratissimam, quod ex miserrimo hoc & corruptissimo seculo pia in D E V M affectione & mente in cælum evolârit: qui enim sic discessit cur eum lugendum putemus? quam sententiam insigniter confirmat Socratus ille Philosophus Antisthenes, qui interrogatus, quidnam apud homines putaret beatissimum, respondit, felicem mori. Et Cic. 4. Tusc. Mori nemo sapiens miserum duxit. Item Seneca in lib. de brevitate vit. quid novi est hominem mori, cum tota nostra vita iter ad mortem sit: cui sententiae non incommodè anneditur Plautinum illud, quem Diij diligunt, adolescens moritur: an igitur mori quasi turpe aliquid reprehendemus? quod si non turpe, nec dolendum, nisi quis ita vixerit, ut nihil unquam homine dignum praestiterit: quod tamen à nostro piè defuncto absit longissime: virtutem enim & studia amavit mirificè, & me preceptorem sèpè, quod in juvenibus rarum est, officij admonebat mei: parentes coluit intimis sensibus, eosq; à se offensos, quacunq; ratione si non reconciliare exemplò poterat, dolebat acerbissimè: erga preceptores humanitatis exemplum, ita ostendit, ut nihil in eo desiderari amplius posset: cum fratre & sorore erat coniunctio animorum arctissima, conveniebant sensus, congruebat voluntas: animo erat simplici & puro, nullâ simulationis aut malevolentiae arte suffuso & obducto. Neq; verò aliter se gesit in extremo vita die, quo, acerbissimo, quamvis & acutissimo corruptus morbo, tacite tamen & ex intimis erga D E V M sensibus aliquoties secum ipse exclamans, Sic D E V S dilexit mundam, ut filium suum unigenitum daret, &c. materterè postmodum interroganti, num vita & lucis hujus usurâ diutius frui gauderet, imperterrito animo respondit, sibi in votis esse nihil amplius, quam beatissimos D E I beatarumq; mentium sermones regustare: mente deniq; ad D E V M erectâ tanta cum constantia expravit, ut omnes astantes non in admirationem tantum traheret, sed exemplo etiam commoveret. Salve decus cœli, amor & delicia beatarum mentium: gratulamur tibi, quod ad eam urbem commigraveris, que sola in virtute Domini morientes excipit, exceptos laudibus ornat sempiternis: nos, inquam, quibus exorientes tuas virtutes ostenderas, leti tua dignitate cœlesti, mæsti discessu, te prosequimur abiturientem, favemus animis,

animis, precamur linguis: Idecū cœli, & jucundissimo illo conspectu
DE I fruere, donec & nos vita perfuncti, educti ex hac rerum terri-
marum caligine, & in illa sempiterna luce collocati,
tecum omnibus bonis circumfluente,
conjungamur.

DIXI.



HAFNIAE;
EX OFFICINA TY-
POGRAPHICA HEN-
rici Waldkirchij.

M. D. XCVIII.

СВЯТИИ СЕМЕЙСТВО
СВЯТОГО АЛЕКСАНДРА
Невского

М. Д. ХОЛДЕ

